



5.

Programm


des
Gymnasiums der Stadt Pyritz,
womit
zu der öffentlichen Prüfung am 21. März
ergebenst einladet

Dr. Adolf Zinzow,
Director.

Inhalt:

1. Animadversiones ad ephetarum potestatem accuratius definendam. Ser. Dr. Vetter.
 2. Schulnachrichten vom Director.
-

Pyritz, 1864.
Druck von C. Hesse.



Animadversiones ad ephetarum potestatem accuratius definiendam.

Dissertationis programmati, ut mos est, præmittenda argumentum circumspicienti mihi quin ex antiquitatibus Græcis depromerem dubium esse non potuit. Cum enim paucis abhinc annis de senatu Areopagitico pauca conscripsisset et hoc studio ad iudicium apud Athenienses de cæde iudicantium ordinem observandum ductus essem, in hanc materiam latius inquire cœpi et de ephetis pauca quædam, quæ mentione digna videbantur esse, in medium proferre ausus sum, ita tamen, ut non tam continuam munerum ab iis exercitorum descriptionem præberem, quam pauca seligerem eo spectantia, de quibus virorum doctissimorum sententias colligere et dijudicare operæ pretium fore putabam. Cui quidem causæ imputent velim qui mea fortasse legunt, quod hæc scriptiuncula minus explicationem rei ad tractandum propositione exhibit absolutam, quam adnotations singulas eam quodammodo illustrantes hic illuc congestas.

Quibus præmissis reliquum est ut quæstionis meæ dispositionem breviter significem. Ac primum quidem de ratione et necessitudine agam, quæ inter Areopagum et ea tribunalia, in quibus ephetas iudicandi munere funetos esse scimus, intercesserit, deinde de nomine ephetarum, tum de potestate disputabo, quæ tribunali cuique eorum fuerit, cui quæstioni nonnulla adiungere licet de forma et ratione iudiciorum in illis tribunalibus exhibitorum.

Quæstio de ephetarum origine instituenda ad antiquissima eaque fabulosa et obseura Atheniensium reipublicæ tempora pertinere videtur. Duo enim auctores diserte dicunt, ephetas in eo iudicio sedisse, in quod Demophoon, quum Græcis Palladium rapuisset multosque eorum interfecisset, cædis preter voluntatem commissæ reus fuerit vocatus, Harpocratio et Suidas. (cf. Harpoer. Ἐπὶ Παλλαδίῳ. Ἀγαμένων δὲ δυσχεράντα δέκτη τὸν ἀρπάσαντα ἀπαιτεῖ καὶ συνιστάται τὸ κριτήριον ἐπὶ πεντήκοντα μὲν Ἀθηναίων, πεντήκοντα δὲ Ἀργείων, οὓς Ἐφέτας ἐκάλεσσεν). Quibus auctoribus si fidem habere licet, difficultas quedam oritur, quum quæratur, quomodo eorum sententiæ conciliandæ sint cum verbis Pollueis grammatici (lib. VIII, 125), qui ephetas ex Eupatridarum ordine a Dracone electos esse tradit. Idem unum et quinquaginta eos fuisse et in quinque notis illis iudiciis de cæde iudicasse, a Solone autem Areopagitas iis adjunctos

et inde factum esse narrat, ut brevi ephetarum collegium irrideretur. Deinde Harpocratio eos ait, qui in Palladio, Prytaneo, Delphinio, Phreatto de cæde iudicaverint; ephetas vocatos esse et in Timae. lex. Plat. s. vb. hæc legimus: ἐφέται οἱ ἀπὸ Δράκοντος περὶ φόνου δικαζούσται. Ad quos auctores accedit Plutarchus, qui (vit. Solon. c. 19) eorum meminit, qui ante Solonem ab Areopagitis, aut ab ephetis, aut a Prytaneo propter cædem commissam aut tyrannidem affectatam capite deminuti sint. Quod testimonium Plutarchi disertissimum etsi aliter explicari non potest, quam ut ante Solonem Areopagitas ab ephetis diversos fuisse statuamus, tamen sunt qui contrariam sententiam, quasi Areopagitæ iidem fuerint atque ephetæ, defendere conentur. Quorum in numero præter Platnerum et Luzacum, quorum libros me inspicere non potuisse valde doleo, in primis Odofredus Muellerus habendus est, de cuius sententia in Aeschyleæ Eumenidum commentario proposita postea latius disputabo. Ut tamen quid ipse sentiam statim dicam, offendit me, viros illos doctissimos, disertis testimoniis reiectis, ad conjecturas confugisse, quas si quidem quibus utimur, veterum testimonia et fide digna sunt et sana ratione inter se conciliari possunt, prorsus supervacaneas esse apparent. Ac Plutarchum quidem (cf. Schœmann. ind. lect. sem. hibern. 1833), cui ipsas Solonis leges notissimas fuisse scimus, cur quasi levem testem repudiemus, causam iustum non video, neque Polluci, cui cum in plerisque quæ de Atheniensium republica tradidit, tum in ipsa hac iudiciorum parte enarranda gravissimum auctorem constat Aristotelem, fides deneganda est. Quodsi neque Plutarchi, neque Pollucis sententia videtur reiicienda esse, sequitur, ut et id quod ille dilucide narrat, ephetas et Areopagitas ante Solonem iudices exstisset inter se diversos, et, quæ est Pollucis sententia, ephetas olim ἐν τοῖς πέντε δικαστηρίοις, in Areopago igitur quattuor illis iudiciis adiecto, consedisse, pro vero accipiamus. Hinc difficultatem oriri quis est quin videat, quum si quis Pollucis verbis confidat, huic Areopagitarum iudicium ante Solonem aut nullum, aut quod ab ephetarum iudicio non alienum fuerit, colligere, Plutarchum ergo a Polluce dissentire licet contendere. Accedit quod Plutarchus loco supra laudato narrat, plurimos scriptores ipsius æquales senatum Areopagiticum a Solone demum institutum putasse, argumento usos, quod in legibus ad cædem pertinentibus a Dracone latis nusquam Areopagitarum, sed semper ephetarum mentio facta sit: cui argumento quum nihil impediatur quominus fidem habeamus, ephetus de cæde iudicia tradita fuisse apparent, ita ut facile suspicio oriri possit, quasi Areopagitæ iudicium capitalium munere Draconis quidem ætate omnino non functi sint, seu ephetæ ab Areopagitis diversi non fuerint. Qualem sententiam si quis eorum, qui in antiquitatibus Græcis tractandis minus diligenter versati essent, in medium protulisset, non magnopere offenderemur, eo magis operæ pretium fore speramus, si latius in causas inquirimus, quibus permotus Odofr. Muellerus, vir ingeniosissimus et qui in hac studiorum parte elaboranda aliis facem prætulit, in hunc errorem incidere potuerit, ut nullum ante Solonem collegium fuisse a senatu Areopagitico diversum diceret.

Statuit autem Muellerus (cf. Comment. in Eumen. pg. 152-153), Athenis antiquitus unum idemque iudicum collegium de cædibus iudicasse, et voluntariis, aut supplicio aut exilio perpetuo luendis, et non voluntariis, aut breviore exilio et quod domi absolvi posset, aut purgatione et lustratione quadam expiandis, expiationem autem et purgationem reorum cædis

non voluntariae penes Eupatridas fuisse quippe iuris sacri peritos, iurisdictionem ad cædes voluntarias pertinentem civibus etiam inferioris ordinis tradi potuisse, unde facillime pateat, Areopagitas ab ephetis non prius discerni potuisse, quam ætate Solonea, quo tempore nobilibus quantum religione integra fieri potuerit, potestatis ablatum sit, ita ut plebeiis etiam aditus ad senatum Areopagiticum pateficeret. Cui argumento e rerum historicarum computatione ingeniosissima desumpto idem vir doctissimus alia quædam adiungit minoris momenti, quæ tamen per se sententiam supra propositam tueri opinatur. Eo enim confidentiae procedit, ut non solum Pollucem dicentem faciat, ephetas olim in quinque illis iudiciis sedisse, sed etiam in Draconis legibus ephetarum tantum mentionem fieri, contra disertissima de Areopagi institutione yetustissima et fabularnm et Aristotelis testimonia contendere audeat. Quibus rebus omnibus demonstrari putat, consilium illud principum Athenis inde ab antiquissimis temporibus et in republica administranda et in rebus capitalibus diiudicandis versatum, quatenus de cæde iudicaverit, nomen habuisse ephetarum, quod nomen quum in Draconis legibus frequenter legeretur, inde sententiam exstitisse apud Pollucem repartam, Draconem collegii ephetarum auctorem fuisse.

Duplex igitur quum quæstionis explicatio a Muellero proposita sit, altera ex ingeniosa rerum computatione, altera e disertis quibusdam testimoniis sumpta, duplarem causarum ab eo prolatarum disquisitionem fore apparebit. Quod diiudicandi munus aggressuro mihi auxilium haud contempnendum præbet Schoemannus, qui vir doctissimus cum alibi, totam antiquitatem Graecarum disciplinam amplexus, locum de senatu Areopagitico illustrandum attigit, tum singulari dissertatione Muelleri sententiam tam validis argumentis refutavit, ut quisque veritatis amantissimus ei assentiri malit, quam Muellero. Nam postquam ab initio dissertationis modo commemoratae illud principium posuit, unde disputatio quæque historica exire debeat: ante omnia scriptorum veterum testimonia perpendenda et componenda esse, quibus si fidem habere liceat, coniecturis vel ingeniosissimis supersederi posse, Muellerum et contra disertissima veterum testimonia peccasse, neque quibus quæ excogitaverit, satis confirmarentur argumenta attulisse demonstrat. Nam quod dicat Muellerus, Draconem ephetarum collegii auctorem propterea haberi non posse, quoniam si tale collegium instituisset, reipublicæ formam mutasse videretur: id levius esse argumentum, quum qui neque magistratum descriptionem, neque ordinum iura et summum in republica imperium, neque finem societatis civilis alium fecerit atque antea fuerit, hic in eiusmodi quidem loco recte dici potuerit reipublicæ formam qualis fuerit, reliquise. Falsam esse Muelleri sententiam præterea e lege quadam vetusta a Solone archonte lata apparere, qua tria collegia Solonis legibus antiquiora diserte inter se distinguantur. Neque minus in altera quæstionis parte Schœmannus audiendus esse videtur. Quum enim neque Polluci neque Plutarcho fidem abrogandam esse constet, tantum abest ut alterius scriptoris sententiam in alterius gratiam reiiciat, quod quin Muellero vitio vertamus facere non possumus: ut utriusque argumenta pari fide digna qua fieri deceat sana ratione inter se concilianda esse moneat. Qua via si quid video præstantissima imita, non solum, quæ est Plutarchi sententia, Areopagitas ante Solonem ab ephetis diversos fuisse, sed etiam, id quod Pollux statuit, in quinque iudiciis eodem tempore ephetas sedisse apparebit. Quod enim

Muellerus quum in quinque iudicis, quorum in numero haud dubie Areopagus habendus est, ephetas iudicia exercuisse e Polluce videat, Areopagitas autem multo antiquiores Dracone fuisse sciat: inde patere opinatur, ephetas, quippe qui in Areopago iudicaverint, ante Dracōnem fuisse: id nequaquam rectam et sānam concludendi rationem sapere quis est quin sciat? Nam etiamsi Areopagitas sane Dracone antiquiores fuisse concedimus, tamen quoscumque in Areopago iudicantes videmus, minime Areopagitas habendos esse arbitramur. Negamus autem, iisdem Areopagitis iudicandi munus a Dracone plane ademptum esse, quæ est sententia Pettiti, qui (ad leg. Att. p. 243) Draco, inquit, ephetis constitutis, omne abrogavit imperium Areopagitum, nec illi, quamdiu legibus Draconis stetit respublica, de cæde iudicia reddiderunt. Cui sententiae a Krebsio (opusc. acad. et schol. p. 19.) et a Matthiaeо iam dudum refutatae imprimis resistere putamus iudicii Areopagitici auctoritatē inde ab ultima antiquitate sanctam et inviolatam, quam ne laderet Dracon quam maxime cavisse putandus est. Quid autem illi loco Plutarchico tribendum sit, e quo Muellerus apparere opinatur, Draconis ætate senatum Arcopagiticum non fuisse, quoniam nunquam cum Areopagitis, sed semper cum ephetis colloquatur, facile quisque videt, neque ad conjecturas, quibus illa sententia infringatur, confugere opus est. Matthiaeus tamen rationes probabiles quærens, quibus cur Dracon Areopagitarum non meminerit, demonstretur, in conjecturam incidisse videtur vix ferendam. Putat enim (opusc. acad. pg. 146-147), a Dracone ephetas institutos esse, ad quos qui a rege, cuius erat de cædibus non voluntariis iudicare, iniuria damnati essent, provocationem haberent; iudicasse igitur ephetas de cæde non voluntaria, iudiciis de cæde voluntaria senatu Areopagitico relictis, unde patere opinatur, cur Dracon in legibus ferendis ad Areopagitas nunquam orationem converterit: ephetas enim, quippe ab ipso demum institutos, de munere judiciali informari oportuisse, Areopagitis autem, qui de cæde consulto facta iudicaverint, nihil eum necesse habuisse iniungere. Putat igitur Matthiaeus, iudicio Areopagitico certam quandam formam ante Solonem fuisse, quæ sententia nullis probabilibus argumentis potest stabiliri. — Iam vero quum ex iis quæ huc usque disputavimus, satis elucere videatur, ephetas et in Areopago iudicia exercuisse, et Areopagitis vetustis a Dracone iudicandi munus non prorsus ademptum esse: restat, ut quæ ratio illis cum his iudicibus recentioribus, ephetas dieo, fuerit, statuere conemur. Qua quidem in re testimonii satis gravibus nos deficientibus, ad veritatem accedere vix possumus. Quicunque vero conjectandi periculum fecerunt, ad id maxime venerunt, quod et veri simillimum et rerum naturæ aptissimum videtur esse, ut statuerent, Areopagitis, ne in munere senatorio exhibendo nimis impedirentur, id munus, quod ad cædem pertinet, si minus ablatum, at certe angustioribus finibus circumscriptum esse. Statuit enim Schoemannus (cf. ind. lectt. p. 6), iudicia de φονεῖς ab Arcopagitis ad novum quoddam collegium translata esse, ita ut senatorio tantum munere et si qua erant iudicia publicorum delictorum cum hoc munere coniuncta, Arcopagita fungerentur, sc. quo et negotiorum multitudo senatui minueretur, et iudiciale munus diligentius ab iis servaretur, qui huic uni rei intenti essent. Neque ab eadem sententia Krebsii verba abhorrent: Draconem Areopagitis, quoniam multis aliis eos intelligeret atque iis satis gravibus curis districtos esse, quæstionem de cædibus, i. e. molestissimam fere provinciam, Arcopagitis si non plane ademisse, cum

ephetis certe communicasse et hac ratione magnam partem oneris, quod illi sustinebant, in hos transtulisse.

Atque haec quidem hactenus. Iam vero, ut ad alteram, quam mihi proposueram, quæstiōnem tractandam transeamus, explicandum esse videtur, nomen ephetarum unde ducendum sit et quid significet. Non compositam esse ephetarum vocem e verbis ἐπὶ et αἴτια, quam derivationem apud Harpoerationem reperimus, a quo Suidas eam mutuatus esse videtur, Krebsius (Opusc. academ. et scholast. Lips. 1828) recte iam intellexit, cui, quum veterum grammaticorum auctoritatē secutus vocem illam ab ἐφέναι sive a provocando potius derivandam esse censeat, non habemus cur non assentiamur. Restat autem quæstio difficillima, quatenus haec nominis explicatio cum Atheniensium reipublicae conditione et omnino cum eorum institutis congruat et quomodo intelligenda sit. De qua re viri doctissimi alii alias protulerunt sententias et quoad aut activam, aut passivam notionem nomini ἐφέται inesse volunt, in diversas partes abeunt. Sunt igitur, quibus Schœmanno auctore haud improbabile videatur, nomen ephetarum illis iudicibus propterea inditum esse, quod caussa cognita ἐφίεσσιν sive ἐφίεντο, h. e. quid de reo faciendum esset, præciperent, utrum supplicio affici, an exulare, an expiari deberet: licet parum liqueat, quatenus ephetarum ordini, quippe quorum etiam ante Draconis ætatem fuisse iudicare, quomodo in singulis causis in reum agendum esset, hac muneric descriptione nova quædam forma tributa esset, id quod e Pollucis verbis sine dubio colligendum esse appareat. Multo magis eiusdem viri doctissimi verbis confidere me confiteor, quibus sententiam ab Odofr. Muellero (comment. in Eum. 154) propositam infringit, e qua ephetæ nomen accepisse dicuntur παρὰ τὸ ἐφέναι τῷ ἀνδροφόνῳ τὸν ἀνδρηλάτην. Iudicia φονικὰ, inquit, eo potius consilio instituta erant, ut ultiōni private τοῦ ἀνδρηλάτου obsisterent, quam ut hunc immitterent in adversarium. Neque enim illi quidquam relictum erat, nisi ut accusaret: condemnatum reum aut supplicio afficiebat, aut exulare iubebat non accusator, sed iudicium: neque accusatori quidquam licebat, nisi ut supplicium, si vellet, præsens ipse adspiceret, exulem autem persequi, dummodo hic exilio sui legem servaret, nullo modo fas ei erat.—Neque Weberum (edit. Aristocrat. p. 269), quippe qui statuat, Draconem non regi soli res disceptandas reliquisse, sed eas ad ephetarum arbitrium reiecssisse, verba Pollucis: πρότερον τοῦ βασιλέως τοὺς ἐπ' ἀχοντιώφ φύνω κρινομένους ἐξετάζοντος ὁ Δράκων παρέδωκε τοῖς ἐφέταις τὴν κρίσιν, ἐφέσιμον ἀπὸ τοῦ βασιλέως πεποιηκάς ita interpretantem: „iudicio a rege ad ephetarum potestatem translato“, rectum vidisse cum Hornio (cf. eius dissertat. „de quinque iudiciis, in quibus ætate decem oratorum Athenis de cæde iudicabatur.“ Plœn. 1859.) censemus, bene observante, Weberi explicatione verbo ἀπὸ effici, ut rex ab ipso ephetarum iudicio interclusus cogitandus sit. Alio modo Hornius rem explicat. Primum enim coniicit, verbum πρότερον non tempus ante Draconem peractum significare, sed actionem disceptationis ante iudicium in tribunali habitum a rege institutæ spectare, verbis autem sequentibus indicari, ipsam quæstionem et sententiam ferendam ad ephetarum, qui disceptationes a rege factas confirmarent et ad finem perducent, potestatem translatam esse. Si enim, pergit, verbum πρότερον tempus ante Draconis legislationem peractum significaret, Pollux dixisset, regem ante Draconis tempora solum omnibus rebus ad iudicium spectantibus functum esse, id quod nemini concedendum sit, cum

constet, iam Homeri temporibus regem ne de causis minoris momenti quidem solum iudicasse, sed semper cum nobilissimis reipublicæ viris iudicio præfuisse. Quæ cum ita sint, colligit, ephetas appellatos esse illos iudices, quod quotiescumque rex disceptationes ante iudicium instituendas ad finem perduxisset, ab iis ipsum iudicium tractandum Draco curaverit eo efficiens, ut reus ad ephetas, qui causam iudicandam tractarent, mitteretur, ut sententia regis, qui cognosset, ad quod iudicium causa pertineret, ab ephetis aut probaretur, aut reiiceretur. Quæ explicatio Hornii eo magis mihi arridet, quo accuratius notio, quam adiectivo ἐφέσιμος inesse Schœmannus tam dilucide (Proc. Att. 776) exposuit, in ea observatur.—

Nomine ephetarum explicato ad rationem singulorum tribunalium definiendam nos convertamus, in quibus ephetas semper iudicasse una omnium fere et consentiens auctorum vox affirmat. Ac primum quidem ad Palladium ephetas sedisse Harpoeratio et Suidas demonstrant (cf. Harpoer. ἐπὶ Παλλαδίῳ· Δῆμοςθένης ἐν τῷ κατ' Ἀριστοκράτους δικαστήριον ἔστιν οὗτω καλούμενον, ὡς καὶ Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ, ἐν φόνῳ δικάζουσιν ἀκουσίου φόνου καὶ βουλεύσεως οἱ ἐφέσι), qui originem illius tribunalis ab eo iudicio repetendam esse volunt, in quod Demophoon cædis fortuitæ reus fuerit postulatus. Ut tamen quæstionem, utrum hoc tribunal recte iam illis temporibus exstiterit, nec ne, omittamus, id quidem inter omnes constat, qui de hac re memoriae prodiderunt, ephetas ad Palladium de cæde inconsulto facta, de homicidio inquilinorum, peregrinorum, servorum iudicasse, quo accedit, quod apud grammaticos quosdam reperimus, de βουλεύσεως crimen ibidem iudicia habita esse. De quo crimen quum tam diversas sententias exortas esse videamus, paullo accuratius disputandum erit. Atque grammaticis quidem auctoribus βουλεύσεως crimen vocatur, si quis insidiis aut dolo alicui necem paravit, sive is, cui insidiæ paratae sunt, diem supremum obiit, sive vivus remansit (cf. Harpoer. δταν ἐξ ἐπιβουλῆς τίς τινι κακασκευάσῃ θάνατον, ἐάν τε ἀποθάνῃ ὁ ἐπιβουλευθεὶς ἐάν τε μὴ). Est igitur huius criminis proprium, in rei animo fuisse necem alicui parare, mortem vero neque statim, neque ratione aperta subsecutam esse, ita ut reus a necando manus abstinentis interfector dici non posset, id quod hoc crimen a γραφαῖς φόνου καὶ τραύματος ἐκ προνοίας dilucide distinguit, quamquam dubium videri potest, num quoque notione βουλεύσεως comprehendatur, si quis necem alicui paraturus actione sua id consilium præ se tulerit, sed re aliqua forte accedente, quominus consilium perageret, impeditus sit.—Heffterum in βουλεύσεως crimen definiendo errasse, quum legis verba δικάζειν τὴν βουλὴν τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ φόνου καὶ τραύματος ἐκ προνοίας καὶ πυρκαϊᾶς καὶ φαρμάκων ἐάν τις ἀποκτείνῃ δούς ad βούλευσιν retulerit, rectissime a Forchhamero (de Areop. 29) observatum esse, satis constat, neque cum iis faciemus, qui quæstionem, utrum huiusmodi causæ ad Palladium, an ab Areopagitis iudicatae sint, ita solvere conati sunt, ut utramque sententiam inter se conciliarent. Quorum in numero Bœckhius vir doctissimus versatur, cui (cf. ind. leett. sem. hibern. 1826) ad Palladium de βουλεύσεως crimen iudicatum esse videtur, quando mors non subsecuta esset, contra ab Areopago, morte subsecuta. Contra quem Forchhamerus primum exponere studet, Harpoerationem, quippe qui secundum Isæum et Aristotelem ad Palladium, secundum Dinarchum ab Areopagitis huiusmodi causas iudicatas esse dicat, fortasse in errorem ductum esse Dinarchi oratione contra Pistiam, Areopagitam illum, qui Dinarchum proditionis damnatum morte afficere studuerat,

contra quem quum multa locutus sit Dinarchus de Pisticie in se insidiis et βουλεύσει et id fortasse adiecerit, Areopagum hominem sic insidiantem (φόνον βουλεύσαντα) poena afficere debere, facile Harpocrationem decipi potuisse. Veri simillimum porro videtur esse quod vir doctissimus addit, vix ad veritatem accedere, Aristotelem, quum de hisce ipsis rebus in Atheniensium republica ageret, leyioris criminis, si mors non subsecuta esset, mentionem fecisse, gravius βουλεύσεως genus in Areopago iudicandum silentio præterisse. Nec minus placent quæ disputat de verbis ἐάν τις ἀποκτείνῃ δούς hue non trahendis et de duobus illis locis Demosthenicis a Boeckhio allatis, quos reiiciendos esse putat, cum appareat, priori (cf. Conon. 1264, 20) neque de αὐτοχειρίᾳ, neque de βουλέσει, neque omnino de cædis causa in iudicio acta sermonem esse videri, sed illum sacerdotis patrem, ut facinoris quodammodo socium, ab Areopago e suo arbitrio in exilium missum esse. Quod ad alterum locum Demosthenis attineat (contr. Conon. 1265. εἰ γὰρ ἀπέθανον, παρ' ἐκείνοις sc. Ἀριστοπαγίταις ἀν τὸν οὐδίκην), e quo quis concludere possit, Demosthenem diserte affirmare, morte subsecuta de βουλεύσει iudicia convenisse Areopago, recte monet, verba illa cuique in rem tractandam paullo accuratius inquirenti nullam aliam sententiam exhibere posse, nisi, id quod inter omnes constet, non de verberibus, sed de cæde Areopagum iudicasse. Quod tandem nonnulli Boeckhio auctore affirmant, orationem Antiphonteam περὶ τοῦ χορευτοῦ coram Areopago habitam esse, quoniam extrema oratione iudicij ipsius iustitia et religio ita supra cetera tollatur, ut ea laus nulli consilio nisi Areopagitico conveniat, id propterea minoris momenti videtur esse, quod sane oratori etiam licuisset eandem ephetis tribuere. Argumentum autem non contemnendum, quo utamur, ut duas illas orationes, quas in βουλεύσεως causa habitas esse videmus, coram Areopago habitas esse negemus, appellatio iudicium nobis præbet. Constat enim, Areopagitas nomine ὁ βούλη, ephetas nomine ἄνδρες vel ἄνδρες δικασταί semper appellatos esse, id quod orationibus a Lysia de cæde Eratosthenis et contra Simonem habitis satis probatur. — Ceterum βουλεύσεως accusari is potuit, cuius accusatione calumniosa factum erat, ut aliquis poena mortis afficeretur, quo Lysiæ oratio in Agoratum pertinet. Ibi enim Agoratus, triginta viris Athenas imperio coëcentibus, effecisse dicitur, ut multi viri nobiles et populo amicissimi capitis damnarentur, tyrannis autem expulsis accusatus esse, quod fraudibus et mendaciis mortis eorum auctor fuisse.

Secundi tribunalis, in quo ephetae cædis reos iudicasse dicuntur, Delphinii, originem Pollux nos docet lib. VIII, 119: ἐπὶ Δελφινίῳ· ἕδρόθη μὲν ὑπὸ τοῦ Αἰγέως—ἐκρίθη δ' ἐν αὐτῷ πρῶτος Θησεὺς ἀριστούμενος τὸ ἄγος τῶν ὑπὸ αὐτοῦ ἀνηρημένων ληστῶν καὶ τῶν Παλλαντιδῶν οὓς ὥμολόγει μὲν ἀποκτεῖναι, δικαίως δ' ἔφη τοῦτο δεδραχέναι. Dicit etiam Pausanias in Att., omnium primum Theseum ibi causam dixisse, quum Demosthenes (in Aristocr. 439) contra ea Orestem, quem Demophontis ætate demum causam dixisse volunt, in Areopago poena liberatum fuisse tradat cumque occasionem præbuisse Delphinii exstruendi. Fortasse sententiæ sibi repugnantes ita conciliare licet, ut statuamus, Theseum quidem ante Orestis iudicium causam suam egisse in Delphinio i. e. ipso Apollinis templo neque tunc temporis iudicio cædi inquirendæ constituto, postea vero quam Orestem cædis voluntariae accusatum, tamen ipsorum deorum sententiis liberatum fuisse viderunt, in eo ipso templo Apollinis, ubi ante aliquot sexaginta annos de Theseo eadem quæ de Oreste in Areopago quæstio erat habita, in eo itaque Delphinio

eiusmodi causas agi voluisse videntur publiceque sanxisse, ut in posterum legitime in hoc loco de iis quæreretur, qui faterentur quidem, cædis voluntariae se esse reos, iure autem se suo commisisse eam contendenter. Quæ Schol. Arist. tradit: Δελφίνιον ἱερὸν Ἀπόλλωνος Ἀθήνησιν οὗτον καλούμενον, ἐνθα ἦν τὸ ἐν Δελφοῖς δικαστήριον, ut Krebsius recte explicat, non eam vim habent, ut in ipso templo Delphinii iudicium illud et tribunal fuisse dicatur, sed verba accipienda sunt de iudicij loco, qui Delphino templo adiacuerit. Nihil igitur obstat videtur, quominus locum interpretetur: Athenis est templum nomine Delphinium, Apollini consecratum, iuxta quod tribunal est eodem nomine Delphino insignitum.

Postulabantur autem in hoc tribunal qui manifesti homicidii crimine tenebantur: quod quidem si iure se suo perpetrasse ostenderant eiusque rei rationes prudentia iudicum probaverant, ab omni omnino cædis poena liberabantur. Quæ autem res potestatem unicuique libertatemque alterius impune occidendi dederint, docet Demosthenes in oratione et. Aristoer., ubi inter alias leges, quæ impunitatem homicidæ dant, hanc etiam affert: καὶ ἐὰν φέροντα ἢ ἀγοντα βίᾳ ἀδίκως εὖθες ἀμυνόμενος κτείνῃ νηποιοντες τεθνάναι. Cuius quidem legis multæ exstant atque eæ variae doctorum virorum interpretationes. Reddunt enim aut: „si quis quem auferentem vel abducentem per vim et iniuriam occiderit, iure cæsus esto“, aut: „quodsi quem per vim iniuste spoliantem aut abducentem confessim vindicans interficerit, impune occisum esse iubet“. Ad veritatem proprius accessisse videtur Pétitus, qui interpretatur: „Si quis alium iniuste vim inferentem in continent necasset,“ etc. Qui Vigerii auctoritatem sequuntur, vim verborum ἄγειν καὶ φέρειν per aggredi, invadere exponentis, legem interpretandam esse statuerunt: „Si quis quem violento impetu aggredientem et invadentem defensionis causa occidat, impune cæsus esto“. At arbitror, non esse, cur a significatione recepta τοῦ ἄγειν καὶ φέρειν, quæ est „hostili impetu bona alicuius invadere, prædam facere et abigere“, redeamus, quum iis, quæ Demosthenes ipse ad legem explicandam attulit, hæc significatio postulari quodammodo videatur, quibus quis non intelligit, quod in lege simpliciter et sine ulla amplificatione dictum erat, id copiosius a Demosthene in lege interpretanda et accuratius efferri verbis „ἄγειν καὶ φέρειν τὰ ἔμπλα et paullo post verbis ἀδίκως ἄγη καὶ φέρῃ τὰ τινος ληζόμενος? Demosthenis igitur auctoritate permoti legem hoc modo interpretari non dubitamus: Si quis animo et impetu hostili bona aggredientem eaque diripientem propulsando defendendoque a se suisque bonis illatam iniuriam occiderit, impune is cæsus esto. Evidem reiecta hoc loco altera vexandi notio, quam verba ἄγειν et φέρειν, si secum coniunguntur, efficiunt, alteram tuendam esse puto, qua verba φέρειν et ἄγειν per se quodque explicanda sunt, ut φέρειν ad res inanima-tas auferendas, ἄγειν ad pecora abducendā referendum sit.—Alterius legis, qua quos impune interficere licuerit, commemorantur, verba hæc sunt: Ἐάν τις ἀποκτείνῃ ἐν ἄθλοις ἄχων, ἢ ἐν ὕδρῳ καθελῶν ἢ ἐν πολέμῳ ἀγνοήσας, ἢ ἐπὶ δάμαρτι ἢ ἐπὶ μητρὶ ἢ ἐπ' ἀδελφῇ ἢ ἐπὶ θυρατρὶ ἢ ἐπὶ παλλακῇ ἢ γὰν ἐπ' ἐλευθέροις παισιν ἔχη, τούτων ἔνεκα μὴ φεύγειν κτείναντα. Ac verba quidem ἐν ἄθλοις ἄχων et ἐν πολέμῳ ἀγνοήσας facile intelligenda sunt neque offenditionem quandam præbent; quæritur autem, quid verba ἐν ὕδρῳ καθελῶν sibi velint, de quorum vi varias explications viri docti protulerunt, quum illa verba vertant aut „in itinere“, aut „in via publica interficiens“. Sin vero hæc notio verbis inesset, etiam latronibus licitum fuisset impune cuivis necem parare, neque

Matthiaeum rectum vidisse, qui interpretatur „insidianem“, cum Hornio existimamus, primum quod, si id legislator voluisse, participium ὄντα post vocem ὁδῷ posuisset, deinde quod iusta imperfectio defensione confecta in sequenti lege commemoratur. Weberus autem (l. l. p. 273) veterum grammaticorum auctoritate nisus interpretatur: ἐν λόγῳ, ἐν ἐνέδρᾳ, quam dicendi rationem exemplis quibusdam tueri studet. Sed haud dubie nos offendit, quomodo verbum ἀγνοήσας referri possit et ad verba ἐν ὁδῷ καθελῶν et ad verba ἐν πολέμῳ, quippe cum hac relatione structura totius enuntiati paullo durior efficiatur. Atque etiamsi concedimus, id quod Hornius recte monet, in legibus apud oratores allatis genus dicendi interdum usitatam structuram abhorre, h. l. tale quid accipere noluerim. Mihi quidem ante omnia respiciendum esse videtur, tribus illis notionibus: ἐν ἀθλοῖς, ἐν ὁδῷ, ἐν πολέμῳ, tres locos, ut ita dicam, accurate innui, in quibus facillime accidere possit, ut cædes involuntaria ab aliquo committatur, verbis autem quæ sequuntur: ἀκον., καθελών, ἀγνοήσας, significari, quibus potissimum causis accidentibus id fieri possit. Atque in certaminibus quidem et exercitationibus in palæstra habitis alterum ab altero, consilio occidendi plane omissa, casu quodam facile necari posse, quis est quin sciat? (cf. Antiph. tetral. II.) et in bello særissime milites sibi amicissimos sive fervore concursus nimis excitatos, sive noctis caligine aut nebulis solem obscurantibus quominus amicum agnoscerent impeditos, cædem sibi invicem parasse: hæc omnia per se sunt plana. Simili igitur ratione verba ἐν ὁδῷ καθελῶν interpretanda esse puto: in itinere aut in via publica in aliquem incidens (de qua notione verbi καθαιρεῖν cf. Soph. Antig. 379, 275, Plat. Protag. 344, c) sc. non eo consilio, ut eum interficiat, sed rixa exorta casu quodam cum eo congressus, ut quasi insidianem eum habere cogatur.—

Quæ de adulterio in lege supra laudata commemorantur, explicatione accuratiore non egent, nisi quod monendum videtur esse, in verbis ἐπὶ παλλακῇ ἦν ἀπ' ἐλευθέροις παισὶν ἔχῃ, non eam sententiam latere, quasi scriptum sit: ἐπὶ παιῶν ἐλευθέρων παιδείᾳ καὶ θεραπείᾳ, id quod interpretes quidam putaverunt, sed potius ea vertenda esse: ἐπὶ τεκνώσει ἐλευθέρων παιῶν, ita ut orator de concubina quadam libera uxoris loco ducta ad sobolem liberam procreandam cogitasse putandus sit, qualem feminam nisi orator innuisset, cur hominem deprehensum impune necare licuisset, non eluceret.— Alias quoque causas præterea huic tribunali nonnunquam iudicandas tributas esse constat, quo referendum est, legem etiam medico, si quem male nutriendo curandoque perdidera, impunitatem largitam esse, cf. Antiph. or. XII: Εἰ δ' ἔτι καὶ ὑπὸ τοῦ ἱατροῦ ἀπέθανεν, ὡς οὐκ ἀπέθανεν, ὁ μὲν ἱατρὸς οὐ φονεὺς αὐτοῦ ἐστιν. ὁ γάρ νόμος ἀπολύει αὐτόν.

Tertium tribunal, in quo ephetae de cæde iudicabant, τὸ ἐπὶ Ηρυτανείφ vocatur. Quæ ibi habebantur iudicia minus hoc iudiciorum nomine digna esse, quam ceremoniæ cuiusdam ad religionem pertinentis speciem exhibere videntur. De quibus iudiciis in primis Pollux audiendus est, qui lib. VIII, sect. 120 narrat, iudices ibi poenas in imperfectores pronuntiasse, quorum nomina ignota essent, deinde autem iussisse, instrumenta, quæ ab iis ad cædem perpetrandam adhibita essent, causa cognita trans Atticæ fines asportari. Quod in primis manifestum fieri ex iis, quæ de huius iudicij origine Pausanias in Att. I, 28 tradat, sunt qui existiment. Originem enim illius iudicij hinc vult repetendam esse: Erechtheo Athenis regnante bovem ad aram Iovis Poliei a sacerdote βουφόνος appellato mactatum esse, qui cum reicta ibi securi

aufugisset, eam statim liberam declaratam fuisse. Quæ apud Pausaniam leguntur I, 29, bipennem iudicatam omni culpæ crimine liberatam esse, ab Aeliani verbis valde abhorrere videntur, qui (V. H. lib. VIII, 3) tradit, in diebus festis celebrandis, Διπόλια et Βουφόνια nominatis, quorum origo quin ad rem a Pausania traditam referenda sit (cf. Krebs. l. l. pg. 31) non dubitamus, cum unusquisque cædis commissæ crimine se liberare studuisse et in alium culpam conieciisset, tandem, ceteris omnibus liberatis, securim iudicium sententiis cædis ream pronuntiatam fuisse. Sed ut hæc omittamus, in quibus *vix* ad veritatem nos accessuros esse confitemur, non minus dubium videtur, utrum Demosthenes or. in Aristocr. 645 verbis: ἐὰν λίθος ἢ ἔύλον ἢ σῖδηρος ἢ τι τοιοῦτο ἐμπεσὸν πατάξῃ καὶ τὸν μὲν βαλόντα ἀγνοῇ τις, αὐτὸ δὲ εἰδὼν καὶ ἔχῃ τὸ τὸν φόνον εἰργασμένον, declaraverit, cædem apud Prytaneum iudicatam esse, si res quædam inanima, quæ a nullo ad cædem perpetrandam adhibita esse videretur, necem alicui forte intulerit, an id potius dixerit: de cæde apud Prytaneum cognitum fuisse, si e ligni, aut ferri, aut lapidis lapsu aut iectu intelligi posset, a cædis auctore tale quid in hominem occisum coniectum esse, ipsum autem criminis auctorem in iudicium vocari non potuisse. Ac mihi quidem a veri similitudine nequaquam abhorrere videntur, qui totius loci nostri connexu satis evinci dicant, h. l. minime de cæde cogitandum esse, ad quam perpetrandam num quævis humana opem tulerit, non perspicuum sit. Verba enim τὸν μὲν βαλόντα ἀγνοῇ a Demosthene non addita essent, si tam sententiam orator exprimere voluisse. Apparet potius e verbis laudatis, Demosthenem maxime urgere, imperfectorem ignotum abfuisse, quo absente de instrumento, quo ad cædem committendam usus esset, ad Prytaneum iudicatum esse. Idem e Pausaniae narratione supra laudata elucere facile cuiquam persuadetur. Quod vero nonnulli contenderunt, instrumentum ab homicida ignoto adhibitum a iudicibus damnatum et trans fines asportatum esse, nullo quod sciām testimonio diserto probatur, quamquam id quidem inter omnes constat, res inanimatas, quæ casu fortuito necem alicui paraverant, damnatas et trans fines proiectas esse a φυλοβασιλεῦσι, qui Polluce auctore iudicibus ad Prytaneum præerant: προειστήκεσσαν δὲ τούτου δικαιστηρίου οἱ φυλοβασιλεῖς, οὓς ἔδει τὸ ἐμπεσὸν ἄψυχον ὑπερορίσαι. Pari denique modo de animalibus, quæ hominis eiusdam interitum effecerant, Athenis ab ephetis ad Prytaneum iudicatum esse, e Plat. legg. IX p. 873 colligi potest, quo loco sancitur, si iumentum aut aliud animal hominem interficerit, nisi in certamine publico id factum sit, propinqui hominis cæsi iudicibus id deferant et agrorum curatores illi, quibus propinquus ipse mandavit, iudicent et damnatum extra regionis fines interficiant.—

Quod denique ad potestatem illius tribunalis attinet, cui nomen est τὸ ἐν Φρεσττοῖ, Demosthene (or. in Aristocr. 646) et Polluce (VIII, 120) auctoribus ephetae ibi iudicasse dicuntur, si quis cum cædis fortuitæ reus factus esset solumque propterea ad tempus vertere coactus, iterum ante redditum cæde eaque consulto facta foris se maculaverit. Cui quum propinquus hominis occisi nondum placatis propter cædem non voluntariam patriam attingere non licet et nihilo tamen secius pœnam homicidii voluntarii subire deberet, eum ad illum Piræi locum navgio appellere iusserunt, tamen neque descendere in terram, neque ancoris scalisve uti, eatenus autem appropinquare, ut et ipse audire et a iudicibus audiri posset. Cuiusmodi caussas rarissime actas esse, luce clarius est. Primum enim e rerum natura in-

telligitur, raro evenisse, ut ab eodem interfectore post cædem non voluntariam commissam, cædes altera consulto perpetraretur, deinde non appareat, quomodo, si accusatus, id quod coniicere licet, ab ephetis in Phreatto capitum damnatus esset, quum ipsi terram attingere non liceret, pœnam capitum dicere potuerit; omnino vero complures difficultates oriuntur, si, quomodo tota iudicij actio accipienda sit, nobiscum cogitamus.—

